



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis  
Leniendæ**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§.6. Bonitas diuina in creando, ornando, redimendo homine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](#)

ob  
as,  
as,  
e-  
a-  
a-  
a-  
a-  
as  
No  
li-  
os  
le-  
L  
No  
U-  
on  
re  
n-  
t-  
e-  
ri

stenditur divina clementia.

131

nari voluptates. Hæc ultima & maxima est catena peccantium, quæ impedit, ut ne effugia querant, aut remedia euadendi. Is verè dignus est desperatione, qui de seipso desperat, ait S. Chrysostomus, ille non jam salutem, neque spem habet. Non in malorum venisse profundum, est graue, dilectissimi: sed postquam veneris, ibi jasere. Non in profunda eecidisse malorum, est impij, sed postquam ceciderit contemnere: propterea debet semper esse som licitus. Dic mihi. Propterea contemnis, quod vulnera tot habeas incurablia? Sed nul lum est anima vulnus incurabile. In corpore quidem multa sunt ulla, in anima verò nul lum: Et pro illis quidem laborare non desinimus, pro his verò torpemus. Nonnè vides latronem, quam breui tempore curatus est? Quam citò è Saulo factus S. Paulus, ex Mattheo & Zacchæo Publicanis discipuli Christi? ex Magdalena peccatrice pœnitens, ex hodierno Petro desperatissimo etiam miraculis coruscans? Possent quam plurima exempla huius diuinæ bonitatis adduci, mihi hodie illud sufficiet, quod ad omnes pertinet, mysterium incarnationis.

Ex fide nouimus, Deum antè quam mun-  
dus conderetur, ab aeterno, ex sui ipsius vi-

S. Chrys.  
hom. 40.

VI.  
BONITAS  
DIVINA IN  
FIORIS

I a

floris

**C**REANDO, sione & amore fuisse beatum, sibiique ipsi  
**G**RANAN- sufficientem. Quod probè sciens Dauid  
**D**O, REDE- aiebat: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quo-*  
**M**ENDO *niam bonorum meorum non eges.* Cùm ergo  
**H**OMINE *Psalm. 15. 1.* ex seipso omnia habeat, nihil protsus, ex-  
 tra se, amare illi opus fuit, vlo utilitatis  
 vel beatitudinis suæ respectu. Tanta illius  
 est bonitas, vt nihilominus priùs, quām  
 essemus, adeoque mereri aliquid potera-  
 mus, nos jam amaret, & ex nihilo educe-  
 ret, totque naturalibus, & supernaturali-  
 bus donis ornaret. Nec satis fuit, nos nihil  
 fuisse, vidit ab æterno, hominem ex nihilo  
 productum totque donis ornatum pecca-  
 turum, neque in Adamo tantum, sed pro-  
 pria etiam voluntate, ac omni genere flagi-  
 torum; atque ita pro innumeris beneficijs  
 ingratum futurum, & inumeras iniurias  
 repositurum. Vedit hoc Deus, & nihilomi-  
*Ephes. 2.* **n**us, quia dives est in misericordia, mundum  
 creauit. Nos saepe benefacimus homini,  
 qui postea est ingratus, & pro beneficijs ac-  
 ceptis reponit nobis maledicta, quod si an-  
 tè vidissemus, forte non benefecissemus.  
 Non sic Deus, sciuit quid facturi essent ho-  
 mines, & tamen creauit homines, adeo-  
 que amauit eos, à quibus erat odio haben-  
 dus,

dus, sicut homines Deum, à quo amantur, detestantur. Quia autem etiam vedit homines Inferni pœnas promerituros; ita eos dilexit, ut vel sic vellet eis remedium suppeditare. Remedium in quo vñico infinita eius bonitas abundè demonstratur. Quæ enim nisi infinita clementia & charitas protam, ingrato & inimico homine redimendo daret id quod habet pretiosissimum, charissimum, nimirum Filium suum vñigenitum, vnum ac eumdem Deum secum, in quo *in.* Col. 2. 9.  
*habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter?*  
Dedit autem non quomodocumque, sed fecit eum passibilem, ut pro nobis famere, sitire, frigere, alapis, flagellisq; cadi, damnari, occidi posset, & maximos pati cruciatus.

Infinitæ huius bonitatis arcanum adhuc VII.  
plus detegit modus dandi, quiz, tametsi CVR 8  
postquam homo fieri decreuit, perfecti viri VRGINB  
corpus, quale fuit Adami, accipere potest NASCI VON  
tuisset, haud tamen ita fecit, sed ex muliere LVERIT  
nasci voluit. 1. Ut ab infantia pro nobis DEVS?  
pateretur, unde ipse ait: *Panper sum ego,* Gal. 4. 4. *& Psal. 87.*  
*in laboribus à iumentute mea,* adeò amavit labores, cùm eos nos, quantum possimus fungiamus. 2. Ut diuina bonitas tanto se-